

permissione domini imperatoris Friderici et consensu castellanorum nostrorum Rüdengeri, Mirzlai, Arnoldi, Ruzini capellae sancti Egidii tradidimus eo videlicet iure, ut de praedicta vinea cereis luminaribus in eadem capella deo noctu dieque ministretur, reliquum vero in usum sacerdotis aggregetur. Ut autem haec nostra traditio in perpetuum rata et inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscriptam sigilli nostri impressione corroboravimus, quatenus quicumque pacis inimicus contra hoc venire temptaverit, non solum pontificali sententia feriat, verum etiam principali manu ab iniuria ecclesiae coerceatur. Huic autem actioni interfuerunt clerici dominus Misinensis episcopus Gerungus, Theodericus praepositus, Herbordus praepositus, Herimannus decanus, Anselmus custos, Albertus, Walterus, Johannes. Laici nobiles Herimannus praefectus, Heinricus praefectus de Donin, Pribizlaus advocatus, Sifridus de Mugelin, Gumbertus, Bronizlaus; ministeriales Ortolphus, Thimo, Rubertus villicus, Vlricus, Helmericus, Cunradus, Bertoldus, Helmericus, Heruo. Acta vero sunt haec anno ab incarnatione domini M^o.C^o.LXI^o. indictione nona regnante glorioso Romanorum imperatore Friderico, praesidente cathedrae Misinensi Gerungo episcopo, sub Ottone marchione feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv mit auf die Rückseite aufgedrücktem wohl erhaltenen Reiter-siegel des Markgrafen Otto.

No. 3. 1213.

B. Bruno II. übergibt die Marktkirche zu U. L. Frauen mit allen ihren Einkünften und Nutzungen dem Augustiner-Chorherrenstift zu St. Afra.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Bruno II^{us} Misnensis episcopus. Cura officii pastoralis exposcit ita nos gregi religiose viventi debita sollicitudine providere, ne inopia temporalium ipsum a religionis proposito resilire compellat. Ea propter notum esse volumus tam praesentis quam futuri temporis fidelibus, quod indigentiae canonicorum regularium sanctae Aefrae in Misna paterno affectu volentes consulere cum unanimi fratrum nostrorum consensu ecclesiam sanctae Mariae forensensem in Misna, cuius investitura ad episcopalem spectabat auctoritatem, ipsis cum omni utilitate et pertinentiis ipsius contulimus. Ut autem haec donatio nostra rata semper et inconvulsa permaneat, praesentem paginam sigilli nostri impressione munitam ipsis porreximus sub interminatione anathematis firmiter inhibentes, ne quis ausu temerario contra hanc collationem nostram venire attemptet. Quod si quis diabolica suggestionem praesumpserit, a communione sacrosanctae ecclesiae segregatus in poena gehennali cum apostata angelo aeterno dampnetur supplicio. Testes autem sunt Teodericus maior praepositus, Gunzelinus decanus, Lvtherus canonicus, Bertramms Worcinensis praepositus, Nicolaus canonicus, Vlricus canonicus, Wipertus canonicus, Lvprandus canonicus, Martinus scolasticus, Albertus canonicus. Acta sunt haec in Misna anno dominicae incarnationis M^o.CC^o.XIII^o. pontificatus nostri anno III^o. indictione prima.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das an weisseidenen Fäden befestigt gewesene Siegel fehlt.